



37

PARTITIONVM

Theologicarum

DISPUTATIO XXXVII.

de

STATV HOMINIS POLITICO,

In inclusâ & Florentissimâ Academiâ Wittebergensi proposita
PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

TOBIA CUNONE
Magdeburgensi,

Sumptibus Clementis Bergeri
Bilbopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

Magnificis, Amplissimis, & Praestantissimis

V I R I S,

PETRO THYLÆO J.V.D.

JOANNI MARTINO ALEMANNO

Patricio, Cos. digniss.

STEPHANO OLVENSTEDT Jurium D.

Dn.

& Syndico.

HEINRICO à BRAKEN

Camer. meritif.

VVILHELMO DVIS

Senatori.

ERASMO CRAMERO

Civi primario.

GEORGIO SCHMIDT

Civi primario.

Nec non.

Reverendis & Clarissimis Viris;

JOANNI NESNERO Ecclesiæ Joannitanæ My-
stæ primario.

Dn:M. JOANNI MALSIO Ecclesiæ Catharinianæ Pastorii
fidelissimo.

HERMANNO CRANZIO Ecclesiæ Metropoli-
tanæ Diacono Solertiss.

Patronis, Fautoribus, & Promotoribus aeternum colendum exercitium hoc
Th:olbgicum consecro & inscribo,

MUnera non reprobant hominum tenuissima, puris
Deprompta fibris, Numinis.

Non holocausta magis centum mactata Jehovam.
Quam thura placant fumida.

Euge Viri pietate graves, virtutis Athlantes,
Litata vobis offero

Dona. sed hæc quæ sunt exilia, vilia, nullo
Fulgore resplendentia.

Hæc, quia sinceræ sunt imâ mentis abysso
Deducta, Vos assumite.

Sumite, sed nitido vultu, vestriq; favoris
Vimbone me defendite.

Tobias Cuno Magdeburgensis.

TYPVS HVIVS DISPV-
TATIONIS.

1. Ab Ecclesiastico munere distinguitur.

Proponitur.

Magistratū qui

Defini-
tionem
quaे Resol-
vitur in Diffe-
rentiā

Genus : Generica : ab effici-
ente, qui est solus
Deus.

2 Expli-
catur per

Officium:
ut sit cu-
rios utri-
usq; tabulæ

Prime:

Specifica : quā eius
quaे vel maiestas exprimi-
tur, & à tyranne di-
stinguitur.

Gubernando Subditos:
Secunde Defendendo.

Subditis :
Vbi vide-
tur

1. Qui sint subditi :

&

Plebei.

&

Politici: ordin

&

Ecclesiastici.

2. Quae subditorum officia. Honore:

Consistunt illa in

Obedientiā.

DISPVTATI O XXXVII.

Statu Politico.

CONTINVATI O.

Constat primarios vita ordines tres esse: Ecclesiasticum, Politicum, & Oeconomicum, sive, ut vulgo appellare solemus, Ministerium, Magistratus, & Conjugium; nos Germani, dix i. Lehrs / 2. Wehrs vnd 3. Nehrstandt: quorumq; munia veteres vulgari hoc versiculo comple-
xi sunt:

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora:
absq; dubio ad imitationem Anshelmi, qui in
libro de similitudinibus cap. 126. in hac verba
definit. Tres sunt hominum ordines: videlicet
Orantes, Agricultores, & defensores. Atq; id
recte & verè: Quandoquidem Ministrorum
est docere Mal. 2. v. 7. Ierem. 15. v. 19. Syr. 45. v. 21.
Parentum deinde alere sibolem & familiam
juxta illud praeceptum Pauli Eph. 6. v. 4.
entreprete, enutrite liberos vestros. Et I. Tim. 5.
v. 8.

v. 8. inquit: Si quis suis & maximè familiaribus non providet, fidem abnegavit, & est infidelis deterior. Deniq; Magistratus est vim hostiū & quascunq; injurias à subditis prohibere i. Sam. 14. v. 48. Prov. 20. v. 30. Rom. 13. v. 4. Et Apostolus Paulus universos hos ordines approbat & confirmat Rom. 12. v. 4. & seq. Quemadmodū enim in uno corpore membra multa habemus, membra verò omnia eandem non habent actionem: Sic multi unum corpus sumus in Christo Iesu, singulatim autem alij alia membra. Habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est. Qui docet in docendo, qui præest cum diligentia: qui misericordiam exercet. (Quod licet omnibus hominibus; Oeconomis tamen & Patribus familiis potissimum inculcatur Eph. 4. v. 28.) cum hilaritate. Cùm igitur de Ordine Ecclesiastico sufficienter actum sit in loco de Ecclesia: item de Oeconomico in proximè precedente disputatione: jam aliquid de Ordine Politico dicendum erit. Nam & de hoc statu sive ordine agendum est in Ecclesia & Sancta Theologia: Cùm Politia sint hospitia Ecclesie.

A 3 sia:

*sia: Ep̄iorum sive Magistratum sive
subditorum conscientia adversus fanaticos
erudienda & confirmanda.*

Thesis I.

Doctrina de Ordine politico agit partim de Magistratu;
partim de subditis.

2. Magistratus politicus primū ab Ecclesiastico munere
distinguendus: Deinde in ejus naturam accuratius inquirendum.

3. Prius propterea: quia in papatu hi duo status adeo erant
permixti & confusi, ut illorum distinctio penè tota fuerit sub-
lata.

4. Distinguuntur autem tribus potissimum: *Objectus*, *Gu-
bernationis forma*, & *fine secundario*.

5. *Objectus*: Magistratus tantum circa hominis externa
est; ideoq; duntaxat secundum acta & probata pronunciat
Deut. 17. v. 4. 5. 6. Minister utraq; & externa & interna seriō
arguit. *1. Cor. 5. v. 1. Thess. 5. v. 2. Tit. 1. v. 15. Marc. 7. v. 21.*

6. *Gubernationis quoq; forma alia est Magistratus*, alia
Ministri. Ille enim accinctus est gladio, & vi corporali arma-
tus, quā contumaces coercedat, vel, si aliter fieri non potest,
omnino disperdat, *Mattb. 10. v. 28. Rom. 13. v. 4.* Minister dun-
taxat gladio Spiritus, hoc est, concione verbi & potestate
clavium est instructus *Eph. 6. v. 17. 2. Cor. 13. v. 10.*

7. Fine tandem secundario. Magistratus enim Politicus
curat, quæ sunt temporaria, & hujus vitæ propria: Minister
animatorum curam gerit, & eorum, quæ vitam illam alteram
& æternam concernunt.

8. Cæterū ut Magistratus natura recte explicetur, duo
attendenda sunt, *Definitio*, & *Officium*.

9. *Definitio* primū proponenda, deinde resolvenda est.

10. Definitionem damus talem: Magistratus est ordo
politicus, à Deo constitutus, legitimè imperans subditis.

ii. Resol-

*Definitio
Magistra-
tus.*

11. Resolvitur in genus & differentiam. Genus est: *Ordo Definitio Politicus*: in eo enim coincidit cum subditorum statu, nec non *nisi resolutio Oeconomico*.

12. Cum illo quidem: 1. Quia prudentia politica consistit non tantum in imperando sed & in obsequendo. 2. Quia tam subditi, quam Principes ad Reipublicæ constitutionem requiruntur.

13. Cum hoc verò: Quia quælibet domus & quælibet familia politiæ pars est.

14. Differentia duplex datur: Generica & Specifica.

15. Illa ab effidente est, quæ solus Deus, Deut. 1. v. 17. *Iudicium Dei est*. Et Proverb. 8. v. 15. Sapientia eterni Patris clamat: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta determinant. Sap. 6. v. 4. A Domino data est vobis potestas & virtus ab altissimo, &c. quoniam estis ministri regni illius Sirac. 17. v. 14. In distributione nationum universæ terre unicuique genti duam præfecit. Dan. 2. v. 20. Sit nomen Domini benedictum in secula; quia sapientia & fortitudo eius sunt, ipso removet Reges & constituit reges. Rom. 13. v. 1. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. Itaque qui quis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

16. Quam ob causam etiam illo ipso in capite v. 4. ab Apostolo Magistratus dicitur Minister Dei: Non frustra gladium gestat, Dei minister est, utor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Item, quia divinitus commisso munere defunguntur, alibi in Sacris vocantur Dij. Psal. 82. v. 2. Ego dixi, Dij estis, & si-
lij excelsi omnes.

17. Vnde colligimus ejusmodi ὡρίσμα: Jure divino ac *Homini Christiano concessum est gerere Magistratum*.
bonâ conscientiâ licere homini Christiano, cum legitime vocetur, Magistratum gerere.

18. Rationes sunt manifestæ, & prima sumitur ex iudicatis: quia est ministerium & ordinatio divina: quæ contra Christianismum pugnare nequit. 2. Quia Evangelium non abolet politias, ut neq; Medicinam, neq; agriculturam: sed de alia, nempè spirituali, concionatur justicia, quæ est per fidem in Christum.

19. Con-

*Obiectio-
nes Ana-
baptista-
rum.*

Responsio.

*Vindicta
ordinata
& inordi-
nata di-
stinguitur.*

*Privata
vindicta
prohibita.*

*Publica
non prohi-
bita.*

19. Contra posteriorem hanc rationem objiciunt Anabaptistæ ac Liberrini sequentia dicta: Rom. 12. v. 17. Nullum malum pro malo reddite. Item Matth. 5. v. 36. Ne resistatis malo. Et Deut. 32. v. 25. inquit Jehova. Mea est ultio & retributio: Et Prov. 24. v. 29. Ne ducas, quomodo fecit mihi; sic faciam ei: Et similia. Indeq; calumniati sunt Celsus, Julianus, & alij ejus surfuis homines, Evangelium prohibitione vindictæ tollere Magistratum.

20. Verum indocti illi homines ignorantes Scripturam, confundunt ea, quæ Sacrae literæ accurate distinguunt, nempe vindictam ordinatam & inordinatam.

21. Vindicta ordinata est publica illa, quæ fit certo ordine, certis legibus, bono fine absq; odio personæ per Magistratum.

22. Inordinata est privata illa, quæ fit sine ordine, sine legibus, & affectu malo, tenditq; in malum sive perniciem ejus, de quo petitur vindicta.

23. Non igitur omnis vindicta locis illis allegatis vel doctrina Evangelij prohibetur, sed duntaxat hæc posterior rejicitur, ideoq; non tantum in personis privatis, verum etiam publicis illis, Magistratum gerentibus. Quando enim & istæ contra ordinem legum, privata cupiditate, gladio abutuntur, æquè contra prohibitionem hanc peccant: atq; privati: ut privata ac injusta vindicta erat Regis Saul, Davide tollere conantis.

24. Publica verò illa tantum abest, ut per Evangelium tollatur, ut potius stabiiliatur & confirmetur. Quandoquidem Apostolus Paulus Rom. 13. v. 4. disertè Magistratum vocat *enδικον vindicem ad iram*. Et dictum allatum ex Deut. 32. v. 35. partis adversæ opinionem haudquaquam stabilit: sed hanc nostram sententiam mirum in modum confirmat. Deus enim ut justus judex punit peccata, sed non semper modo eodem: interduim immediate, & sine ope humana, ut cuncte Sodomam: interduim mediately in suppliciis ordinariis, quæ Magistribus commendavit. Quocirca vindicta Magistratus, non hominum, sed ipsius Dei vindicta est.

25. Differe-

25. *Differentia specifica consistit in illis definitionis Differentiis verbis: legitime imperans subditis. Quia ejus majestas & potestas tia speci- exprimuntur: eaq; magna quidem alleritur, libera tamen, ut fida. cuivis liceat, quod lubet, non conceditur.*

26. Debet enim LEGITIME imperare subditis. Ergo i. *Magistra- nulli Magistratui licet contra verbum Dei nova dogmata cu- tue legitimi- dere, aut idololatricos cultus instituere Ios. i. v. 8. II. Non me impe- licet Magistratui contra leges cum Decalogo congruentes ret subdi- innocuum sanguinem effundere, cum de innocentibus non ti. minus Magistratui, ac cuivis privato dictum sit. NE OCCL. DAS. Non licuit Achabo innocentem Naboth lapidare i. Reg. 21. v. 19. neq; Ioram frates suos & Principes Juda occidere: Propterea ultio divina ipsi denunciatur 2. Paral. 21. v. 4. & 12. Conferantur 2. Reg. 24. v. 4. Matth. 14. v. 10. III. Non licet Magistratui bona Subditorum ad se rapere. Præcep- ptum enim: *Non furtum facies*, obligat omnes homines, & distinguit ac munit omnium hominum dominia, Regum & Subditorum. Naboth licuit vineam suam Achabo denegare: Achabo vero vineam alienam, justo Domino per fraudem in- terfecto, rapere non licuit i. Reg. 21. Alias legitima vectiga- lia & tributa divinitus ei concessa & ordinata, ei deneganda non sunt juxta illud Christi Matth. 22. v. 21. *Reddite Cæsari, QVÆ sunt Cæsari.**

27. Differentia igitur hæc Magistratus Bonus à Tyranno potissimum distinguitur. Bonus enim Magistratus potesta- tem suam habet à Deo: Contrà Tyrannus eam rapuit, aut ne- fariè legitimâ abutitur. Ille semper habet *oxygenes* recte faciendi: & propterea plerumq; & in præcipuis officijs sui par- tibus recte facit, etiamsi interdum labatur ac erret: cum non sit justus in terra, qui bene faciens etiam non peccet. Ecclesiast. 7. v. 21. Tyrannus contra nunquam habet *oxygenes* recte faciendi, & propterea plerumq;, & in præcipuis of- ficij partibus sceleratè agit, etiamsi interdum justa faciat, ut Saul, Cambyses, Sardanapalus, & alij Similes. Elegantem collationem Boni Principis ac Tyranni vide apud Hafenref- ferum in loco de Magist. Politico.

B

28. Quan,

*Vestigalia
& tributa
danda
Magist.
Magistra-
tus bonus à
Tyranno
distin-
guitur.*

28. Quando igitur interdum in imperijs cernimus omnis generis vitia & confusiones: Hæc ab illis accurate distinguimus, vitiaq; & confusiones suo autori, Diabolo, & ejus organis, impiis ac sceleratis hominibus, remittamus, de Imperijs interim ipsis, inq; illis de muneribus politicis, tanquam rebus optimis & à Deo ordinatis recte & piè sentientes & judicantes.

Officium Magistratus. 29. Cæterum officium Magistratus est, ut sit custos utriusq; tabulæ. Deut. 17. Ios. 1. v. 7. hoc est, faciat sonare vocem Decalogi in genere humano, tueatur universam legem naturæ, & transgressores justè ulciscatur.

Prima tabulae Decalogi custos. 30. Prima tabulæ custos est: quando i. ipse amplectitur & amat doctrinæ Cœlestis puritatem Deut. 17. v. 18. Ios. 1. v. 8. II. illam tuetur, falsam contrà doctrinam prohibet Deut. 13. v. 5. 6. III. Quod veræ obstatculo esse animadvertisit, exemplo Salomonis, Ezechiæ, Josiæ, Josaphati, Nabucodonosoris, tollit. 1. Reg. 5. 2. R. g. 18. v. 4. 6. 23. vers. 2. 4. 2. Paral. 17. v. 7. Daniel. 3. v. 29. hoc est, tollit impios cultus, & curat propounderam de Deo doctrinam, & erudiri populum de veris cultibus, Deut. 17. Psal. 2. 24. Esa. 49. IV Consiliis & auxiliis Ecclesiæ, res & ministerium promovet Psal. 12. v. 29. Esa. 49. v. 23. v. fovet scholas: in quibus bonæ literæ & artes, Ecclesiæ necessariæ doceantur. V. In omnibus rebus piè administrandis Domini, hoc est, verbum Dei, consulit, & ei obtemperat Ios. 1. v. 8. Psal. 119. v. 24. VII. Ad gubernationem viros pios, honestos; ac bonos sibi eligit & adhibet: impios, verò, sceleratos, & malos perfecto prosequitur odio: Exod. 18. v. 21. 2. Paral. 19. v. 7. Psal. 101. v. 4. VIII. Ipse est pietatis & virtutis exemplar. Recte enim Claudiamus Principem alloquitur:

In commune iubes si quid, censesq; tenendum,
Primus iussa subi: tunc observantior equi
Fit Populus, nec firre vetat, quem viderit ipsum
Auctorem parere sibi: Componitur Orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus

Ham.

*Huius edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur, semper cum Principe vulgo.*

31. Hinc colliguntur sequentia specialia *magistrorum*: 1. *Religionis* Quod religionis cura ad Magistratum quoq; pertineat *Psal. 2. v. 12. Psal. 24. v. 7.* Ideo Regi Joas, cum inauguraretur, datus est Codex legis Dei in manus 1. *Reg. II. v. 21.* ut mandatur *Deut. 17. v. 18.*

32. II. Quod Magistratus tantum veram religionem in sua Repub. tolerare debeat. 1. Quia haec sola omnium virtutum fons, publicæq; ac privatæ justitiae causa est. 2. Quia id ipsum unice mandat & requirit primum Decalogi præceptum: *Non habebis deos alienos coram me.*

33. Quando autem Respublica morbida est, & Magistratus suo jure perfectè uti nequit, tum pacis publicæ retinendæ causa tristiumq; seditionum vitandarum necessitate adducuntur cogitare superstitiones, errantes & hæreticos ferre. Melius enim est habere quandam religionem, quam nullam.

34. III. Et si Magistratus neminem cogere ad credendum queat; cogere tamen potest locomotivam, ut audiat doctrinam veram: potest promovere media, quibus excitetur fides, potest impedire scandalum & post diligentem inquisitionem & cognitionem, ejicere hæreses & errores publicos, labefacientes fidem.

35. Secundæ tabulæ custos est, quando regit suos cives & subditos: simulq; defendit.

36. Gubernatio illa sit secundum leges, partim divinas, sive est partim positivas, sive humanas: idq; & proponendo & exequendo.

37. Proponendo quidem; Quia enim princeps vicarius Dei est. 1. Sonare debet vocem legis moralis, & juxta eam Subditos regere: Deus enim, ut generis humani sapientissimus est conditor: ita etiam vult illud cum suâ sapientiâ & iusticiâ, in Decalogo expressa, congruere. 2. Deinde debet honestis legibus, cum Decalogo congruentibus honestatem & utilitatem Subditorum plantare, promovere, & conservare.

B 2

38. Porro

*Executor
legium.*

*Magistra-
tu Politi-
co licet ex-
ercere iu-
dicia civi-
lia & cri-
minalia.
Obiectio-
nes.*

*Responso-
nes.*

*Sceleratis
legitime
convictis
gratiam
tus non po-
test.*

38. Porro Executor Decalogi & suarum legum est i. Quando exercet judicia, & sine personarum respectu justè judicat, priusq; causam cognoscit, quam fert sententiam. 2. Paral. 19. v. 6. 2. Samuel. 14. v. 17. Iob. 29. v. 14. 11. Quando pœnis corporalibus contumaces punit. Non enim frustra gerit gladium, sed Dei minister est, vindicta in iram est, qui mala agit, Rom. 13. v. 3. Et Gen. 9. v. 6. inquit Jehova: Quicunq; effuderit humanum sanguinem, eius sanguis effundetur.

39. Vnde colliguntur sequentia *πορρωπατία*: 1. Quod Magistratui Christiano judicia civilia & criminalia exercere licet.

40. Nam Apostolus Paulus Rom. 13. v. 3. & 4. expresse docet, Magistratū honore afficere bona opera, & punire mala.

41. Quatuor Scripturæ dicta hic objici possunt i. Matth. 7. v. 1. Nolite iudicare, & non iudicabimini 1. ii. Rom. 14. v. 4. Tu vero quis es, qui iudicas alienum servum. iii. i. Cor. 4. v. 5. Nolite ante tempus iudicare. iv. Hebr. 13. v. 4. Scortatores & adulteros puniet Deus.

42. Verum ista nihil contra nos. Primum enim loquitur de malignis rerum vel personarum censoribus. Alterum, damnat immodicum fastum eorum, qui libertatis Christianæ cognitione tumidi infirmiores nihili omnino faciunt. Tertium agit de judicijs ortis ex levibus indicijs & suspicionibus, non vero de privatis charitatis, multò minus de Politia, vel politica vel Ecclesiastica, ut eam rejiciat. Ultimum, non excludit, sed includit Magistratum: Quandoquidem Deus vel immediate sine Ministerio hominum, vel mediate per Magistratum punit peccata.

43. ii. *πορρωπατία*: Licet Magistratus summus habeat jus vitae ac necis: nihilominus sceleratis legitimè convictis bona conscientia pro luctu gratiam dare, aut prorsus condonare non potest. Quia potestas illa non est inde pendens sed dependens, quippe finita & determinata i. Verbo & gloria Dei, a quo conscientia tota illa est. 2. Vita communis honestate & tranquillitate: &c; 3. civium seu subditorum incolumente.

44. Ut igitur quæstio hæc rectè decidatur, distinguen-
da sunt

da sunt duo. 1. Peccata ipsa. 2. Circumstantiae delinquen-
tium.

45. Peccata sunt duplia: quædam simpliciter & per
se capitis pœnam merentur, quædam tantum ex Principis
constitutione.

46. Illius generis sunt scelera, quæ 1. directè in ipsum
Deū spectant & committuntur, ut sunt Blasphemia, Magia,
Sacrilegium: 2. in ipsam naturam humanam, ut Sodomitria, in
pecora bruta coardescens hominum libido. 3. In ipsam Ci-
vium incolumentem, ut homicidium, latrocinium.

47. Hujusmodi igitur Scelera, quia generis humani son-
tem extingunt: caveat Magistratus, ne cum damno ac peri-
culo honoris Dei ac societatis humanæ parcatur reo. *Dent. 13.*
v. 8. 9.

48. Concedimus quidem, quod Magistratus facinoro-
rum horum hominum misericordia tangi, & aliquando ab
exquisitis tormentis suppliciorum abstinere queat; prorsus
verò absolvere, qui merentur capitinis pœnam, non debet.
Semper enim in conspectu habere tenetur verba *Jehovæ*
Deut. 19. v. 19. Exscind. s malum ē medio tui, & 2. Reg. 28. v. 4. 2.
Quia dim. fisti virum, quem ego exscindere iussoram, erit anima tua,
loco animæ illius.

49. Cùm posterioribus verò peccatis aliter sese res ha-
bet: Ut enim Principi licet augere pœnas, legibus constitutas,
ex justa causa, ut David *2. Sim. 12. v. 5.* Ita etiam in ejusdem
est potestate, illas ipsas criminum pœnas legibus positivis
sancitas ex justa causa mitigare.

50. In delinquentibus, deinde hominibus voluntas, pro-
positum, circumstantia sexus, ætatis, vitæ ante actæ malefi-
cium distinguunt maledicta, ne in eodem facto ejusdem
sceleris correorum hominum par sit crimen: Quocirca neq;
æqualis pœna illis est imponenda.

51. Si igitur Princeps omnino alicui in ejusmodi deli-
ctis gratiam dare velit 1. faciat id non ex privato duntaxat
favore: sed ex justa & Reipub. necessaria causa. 2. Reum cri-
minis non a tota, sed tanta duntaxat pœna liberet. 3. Cave
Quomodo
Pri. ceps
gratiam
d r. de-
at, ne biat.

ar, ne lenitatis exemplum pariat delicto patrocinium. Impunitas enim Scelerum multos, invitat ad peccandum.

*Quæ leges
politicae
probanda.*

*Lex iudi-
cialis Mo-
seica Ma-
gistratum
præcisè non
obligat.*

*Decimariū
solutio non
tollenda.*

*2. Defen-
dendo ci-
vies.*

Bellum.

*Bellum spi-
rituale.*

§2. III. *τώρισμα*: Illæ duntaxat leges Politicæ probandæ sunt, quæ legi naturæ (cujus Decalogus est Epitome) consentiunt, & ad salutem populi sunt comparatae. Cæteræ non leges sunt, sed tyrannica vincula. *Esa. 10. v. 1.*

§3. IV. *τώρισμα*: Lex judicialis à Mose lata Magistratum Christianum non præcisè obligat. Quia lex tantum obligat præcisè illos, quibus est lata: At lex illa judicialis tantum. Judæis erat lata. 2. Quia lex data ad certum tempus, auctoritatem suam non retinet ultra illud tempus, sed tantum æquitatem præcipit, sceleribusque pœnas decernit, non verò pœnæ peculiarem modum, pro circumstantia temporis, loci, populi temperandum. 3. Quia Christianis liberum & concessum est, suarum gentium uti legibus, modo eæ rationi sint consentaneæ.

§4. *τώρισμα* v. Decimarum solutio propter ceremoniarum ablationem non statim tolli debet. 1. Quia præceptum hoc non simpliciter fuit ceremonialea, sed morale: cùm recta ratio doceat, quod communi utilitati inservientes, stipendiis ali debeat. *1 Cor. 9. v. 7.* 2. Quia id ipsemet Christus docet Matth. 10. v. 10. *Dignus est operarius mercede sua.*

§5. Cæterum altera secundæ tabulæ custodia in eo consistit, ut pro pace & libertate publica vel defendenda vel recuperanda cum hoste dimicet, atq; ita cives suos legitimis ac necessariis summis armis defendat.

§6. Legitimū igitur & necessarium bellum Magistrati politico licet gerere.

§7. Ne verò decipiamur ambiguitate, notandum vocem belli in sacris duabus sumi modis. 1. Pro bello spirituali: Deinde pro bello carnali.

§8. *Spirituale bellum* est illud, quod gerit homo regeneratus adversus propriam suam carnem, Satanam & mundum. *Gal. 3. v. 17.* in quo arma nobis necessaria, sunt fiducia in Christum, Pietas, verbum Dei, & similia. *Eph. 6. v. 13. 1 Cor. 10. v. 4. 2 Thess. 5. v. 5.*

§9. *Carnale*

59. Carnale bellum est, quod armis carnalibus geritur: & Bellum
hoc à Magistratu Christiano gerendum esse necessitate ita ur-
gente & postulante testantur pij Judices, & Reges historiae
Sacrae. Cujus partim personæ, partim concomiantes actiones
sunt considerandæ.

60. Personæ sunt dux & milites.

61. Dux vel est ipse Magistratus politicus: vel ab hoc
conductus & constitutus. Privato enim, ut privato, bellum
gerere non licet: cum belli actio sit potissima pars summae
potestatis.

62. Dux tria potissimum attendere debet i. Ut sciat cau-
fas belli sui justas & necessarias esse. Quæ sunt vel remotæ vel
propinquæ.

63. Remotæ sunt i. Pax futura. 2 emendatio hostis, à quo
injustè fuimus læsi ac lacerficii.

Causæ

Belli remo-
ta.

64. Propinquæ. i Repetitio illarum rerum, quæ nobis in-
juste fuerunt ab hostile erexitæ. 2. repulsi, ultio, & vindicta
injuriarum, contumeliarum, & scelerum in nos perpetrato-
rum. 3. deniq; defensio illorū, qui nobiscum sunt in fædere.

Causæ
propinquæ:

65. Deinde ut sciat, bellum, quod gerit, justum esse.
Iustum vero illud censetur bellum. i. Quod ob dictas ratio-
nes geritur. 2. quod absq; periculo totius Reip. & salutis pu-
blicæ intermitti non potuit. 3. quod à summo Magistratu ge-
ritur. 4. In quo nulla est hostilis actio, nisi prius per Fetiales,
hoc est publicos armorum & belli nuntios hosti fuit indi-
ctum, simulq; pacis conditiones fuerunt oblatae.

Bellum
iustum:

66. Tandem ut sciat, quid in negocio Religionis fa-
ciendum vel tentandum: an etiam veram religionem armis
defendereliceat? i. Distinguatur hic inter superiores, qui
potestatem in nos habent, & inter externos, quibus nul-
lum in nobis jus est. Non quidem contra illos: Sed con-
tra hos omnino religio etiam armis defendenda est. 2.
Quando vera religio publico consensu ab omnibus alicuius
Reipub. vel Regni Ordinibus recepta est: pars vero isti-
us Reipub. illam conatur vi quādam everttere; tum
etiam illi vi publicâ & armis, si aliter fieri nequit,

An veram
religio-
nem liceat
armis de-
fendere.

efr

est resistendum Ios. 22. v. 10. II. 12. 2. Reg. 23. v. 15. Sic licuit Constantino adversus Collegam Licinium Christianos defendere. 3. Non verò religionis propagandæ causâ bellum exteris, qui nobis subjecti non sunt, inferre conceditur. 1. Quia apertè pugnat contra mandatum Christi, qui jussit, ut doceamus & prædicemus Evangelium, & ubi non admittitur, fugiamus & cedamus Matt. 10. v. 23. 2. Quia Jehova non præcepit suis, ut alienas invaderent regiones, bellaq; inferrent propter idolatriam, sed suæ terræ altaria evertere jussit. Deut. 7. v. 1. & 5.

Miles
mercena-
rius nemo
est bona
conscienc-
tiā.

67. Porrò de Militibus multa & varia disputant Politi ci: Nos unam duntaxat quæstionem hic movebimus. An ali quis bona conscientia esse possit miles Mercenarius, qui precio conductus, quævis castra sequitur.

Actiones
bellum
concomi-
tantes.

68. Si Theologicis oculis rem exactius intueamur, quicquid etiam hic vel disputerent vel concludant alij, in negativam partem descendendum esse putamus. 1. Quia ejusmodi milites non suo Magistratui, sed exteris Principibus militant. 2. Quia neq; finem neq; belli causam pensi habent, sed aut prædam illicitam aut lucellum sanè non illicitum duntaxat anhelant. 2. Quia vocationem, quam à Deo habent, pessimè, & sine ulla necessitate deserunt, Parentes, uxores, liberos, opificia sua & rem familiarem totam negligunt ac relinquent. 4. Quia plerumq; ex eorum sunt numero, qui pro precio etiam innoxium sanguinem fundunt, quos certè manet horrenda Dei execratio, quæ extat Deut. 27. vers. 25. 5. Quia ejusmodi vitæ genus videntur sectari, de quo notus est versus Luciani:

Nulla fides pietasq; viri, qui castra sequuntur.

69. Quod attinet bellum concomitantes actiones: quæles sunt: infidiae, prædationes, erptiones facultatum, ob sidiones, & similes calamitates, quæ in bello hostibus inferri solent; de his quæri solet, an sint justæ, ideoq; Christianis concessæ.

70. Affirmativam defendimus, quia si bellum justum est, etiam sunt justæ actiones bellum concomitantes, & sine quibus bellum esse nequit.

71. Cum

71. Cum vero verè dicatur apud Politicos : etiam iustissimum bellum non esse sine iniuria : rectissimeq; moneat Augustinus Epist. 103. ad Bonifacium , non sat è esse bellum iustum , nisi etiam iuste geratur ; cautè & circumspectè agendum est , ne quid peccetur in excessu.

72. I. Sæpius contingit , ut milites gregarij vel prædarij cum nocētibus & hostibus amicos & innocentes spolient , qui potius , per sociorum aut innocentium agros iter facientes , in mentem sibi revocare deberent , quas illis leges Johannes Baptista præscripsérunt , Luc. 3. v. 14. Neminem concutite , neminem dolo opprimitte : & contenti estote stipendijs vestris.

73. II. Verum quidem est illud Augustin. Cum iustè bellum suscipitur , utrum apertè pugnet aliquis , an ex insidijs , nihil inter-est : interim data fides violari non debet , quandoquidem fides , etiam hosti data , servanda est , quamdiu ipse prior datam non frangit Psa. 15. v. 4. Si autem ipse fregerit , in justo bello , insidiis , dolo & stratagemmatis justè licet fasq; est contra hostem uti. Dominus ipse mandavit Josuæ , ut insidias strueret Cœtati Hai 10f. 8. v. 2. Davidi , ut à Philistæis diverteret , & ex adverso eos aggrederetur 2. Sam. 5. v. 23. Sic exploratores iussi Dei in promissam terram præmissi sunt , ijq; viri boni Chaleb & Iosua.

74. III. Incendia , pagorum demolitiones , arborum & segetum excisiones & vastationes , quando illis ad perniciem nostram non abutitur hostis , Sacra Scriptura non approbat Deut. 20. v. 19.

75. IV. In oppidis expugnandis , quando de victoria certò constat , à sanguine civium , à sævitia in infantes , senes decrepitos , muliebrem sexum , & cum primis ab hujus pudicitia abstinendum est.

76. V. Victoria moderatè utendum , & observandum . Hic illud Augustini : Sicut bellanti & resistenti violentia redditur ; Ita à victore Misericordia capto debetur , maxime in quo pars perturbatione non timetur . Et in eo laudati sunt Romani , quod sciverunt .

Parcere subiectis , & debellare superbos .

77. Hactenus de Magistratu . De Subditis Paucis . Primum-

C

Subditi
viden-
quid sit.

Milites
gregarii.

Fides
etiam ho-
stibus data
servanda.

Incendia
& similia
non appro-
bantur.
In oppidis
oppugnan-
dis quid
faciendū.
Victoria
quomodo
utendum.

*Clericos à
Magistra-
tus imperio
non exi-
mendus.*

*Officia
subditorū.
1. Honor
complecti-
tur.
Agnitio-
nem ordi-
nationis
divinæ.
Pietatem.*

*Fidelita-
tem &
sogyan.*

videndū, qui sint subditi; Deinde, quæ sint illorū officia. Subditi sunt omnes, qui in illa regione sunt, cui præ est Magistratus, cujuscunq; etiam sint conditionis, ac dignitatis, sive proceres, sive nobiles, sive plebei sive politici, sive Ecclesiastici.

78. Ut igitur nullus politicorum, sic neq; ullus Clericorum ab Imperio Magistratus eximendus est. Quia Aaron Pontifex Mōsi, ut Politico Magistratus, obediens debuit. Exod. 4. v. 15. & 32. v. 21. 2. Quia Prophetæ, licet Spiritu Dei impulsi, Reges ac Principes arguerent; illis tamen in civilibus, ut parerat, honorem habuere. III. Quia Christus ipse summus noster Sacerdos, Magistratum agnovit, & quo ad Civilia, ei se subjecit. Matth. 17. v. 24. & 27. IV. Quia idem quoq; Apostolus Paulus fecit, & faciendum alii præcepit Rom. 13. v. 2. *Omnis anima sit subdit a potestatibus Superioribus.* Et Petrus 2. Epist. 2. v. 10. damnat illos, qui dominatum contemnunt, neq; horrent convitiis incessere dignitates, quod nostri Pontificij diligenter observare velint.

79. Officia potrò Subditorum in duobus potissimum consistunt: *Honore & Obedientia.*

80. De honore in genere loquitur Petrus i. Epist. 2. v. 17. *Deum timete ac honorate Regem.*

81. In specie honor ille hasce potissimum complectitur virtutes. I. *Agnitionem Ordinationis divinæ*, nempe ut agnoscamus Ordinem hunc politicum à Deo esse institutum, & adhuc conservari, inq; eo lucere atq; conspicere Sapientiam Dei, justiciam ac bonitatem erga genus humanum.

82. II. *Pietatem*; ut pro Magistratu & ejus Salute ac gubernatione oremus Ier. 29. v. 7. Dan. 6. v. 21. Et I. Tim. 2. v. 2. *Hortor*, inquit, Apostolus, fieri obsecrationes, orationes, Postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate. Ita in primitiva Ecclesia Christiani pro Ethnicis Imperatoribus precati sunt, Tertullianus in Apol. cap. 30.

83. III. *Fidelitatem & sagyñ* ut de Magistratu nostro optimè sentiamus, loquamur, omnibusq; modis honestis & à Deo

DFG

Deo concessis ejus famā, salutem, dignitatem, vitam, ius car-
sam, personā, familiam tueamur, custodiamus defendamus.

84. iv. Reverentiam: ut Magistratum nostrum suspicia-
mus, reveremur, & timeamus, tanquam vicarium Dei, can-
dideq; de ipso statu judicemus, ac honorifice censeamus

i. Reg. 1. v. 23. & 31.

Reveren-
tiam.

85. v. Eterne et candorem, quo toleremus Magistra-
tus nostri infirmitates ac nævos, eosq; semper in meliore
partem accipiamus, vel, quantum fieri potest, tegamus, vel
prudenti dissimulatione prætereamus, vel consiliis & admo-
nitionibus moderatis corrigamus: ejus quoq; sententiam
æquo animo subeamus 2. Sam. 19. v. 19. injurias condonemus,
à vi nobis temperemus, & tandem nihil ei detrahamus, sed
cui timor timorem, cui honor honorem exhibeamus Exod. 22.

Eterne
et candorem.

v. 28. Alt. 23. v. 5. i. Pet. 2. v. 17. Röm. 13. v. 7.

86. vi. Amorem: qui complectitur gratitudinem & be-
nevolentiam omni officiorum genere declarandam Gen. 47.

Amorem.

v. 7. & 10. 2. Sam. 14. v. 4. 2. Reg. 19. v. 2. & 6. 6. 20. v. 7.

87. Obedientia: Ut Magistratui, si is legitimus est, sive II. Obe-
alias fidelis sit, sive infidelis, sive justè sive avarè ac duriter
imperet, parèamus. i. Sam. 8. v. 11. Non enim sine singulari
Dei providentia propter scelera, populi Tyrannico Magistra-
tu sæpius premuntur & puniuntur.

Obe-
dientia.

88. Obedientia ista sequentia ferè officia continet: 1. Vo-
luntatem ultrò & vero studio sese Magistratui subjicientem;
idq; propter Deum & propriam conscientiam, juxta illud Obedien-
tia officia
Apostoli Rom. 13. v. 5. Ideoq; necessitate subditi estote non solum
propter iram, sed etiam propter conscientiam.

specialia.

89. ii. Omnia officia externa, honestis legibus, divinis
& positivis, mandata.

2.

90. iii. Opera militiæ togatæ & bellicæ, quæ ad defen-
sionem publicæ tranquillitatis, Ecclesiæ & Reip. suscipiun-
tur, in administratione forensi, in scholis, in acie, & simili-
bus.

3.

91. iv. Justa vectigalia & tributa, tum belli tum pacis
temporibus debita: ut dicitur Rom. 13. v. 7. Date Qópoy, id est

4.

pensiō.

pensiones ordinarias de rebus, terra nascentibus, & $\tau\acute{e}\lambda\sigma$, id est, vectigal pro rebus, quæ transvehuntur & permutantur in contractibus.

Obedien-
tiæ metæ.

errores.

1.

2.

3.

4.

92. Habet nihilominus obedientia hæc certas suas metas, quarum summa continetur hac regula: *Tunc Dominum, fili, & Regem. Oportet enim Deo magis obedire quam hominibus.* Prov. 24.

93. Quocirca in impiis decretis, quæ subditis falsam religionem imperant, non tenentur subditi obedire Magistrati: sed potius vitam debent profundere, quam Dei manda- ta relinquere *Act. 5. v. 29.*

94. Aliter verò se res habet in externis & corporalibus negociis, ibi potius vis injusta sustinenda, quam in illegitima seditionem consentiendum. Non enim qui fert, sed qui infert injuriam, peccat *Col. 3. v. 22. & Cap. 4. v. 1.*

95. Tandem errores hoc in loco vitandi sunt. I. Marcionis, Donatistarum, & Manichæorum, qui Magistratum politicum improbarunt, huncq; à malo Deo sive Diabolo ortum & institutum esse impiè statuerunt.

96. II. Anabaptistarum & Libertinorum, qui & Magistratus officia & subditorum obedientiam simpliciter damnant.

97. III. Pontificiorum fastus, qui nimis abjectè de Magistratu, ejusq; officio sentiunt: interim verò utrumq; gladium Papæ Romano deferunt, & quantum quidem in ipsis est, Papale Imperium constituunt.

98. IV. Pertinet hūc etiam Tyrannorum violentia, qui divinâ hæc ordinatione pessimè abutuntur, eamq; nefariè & malitiosè corrumpunt.

F I N I S.

99 A 6935

ULB Halle
005 360 463

3



T4 → 0C



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXXVII.

De
TATV HO=
MINIS POLI-
TICO,

In includâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita
PRÆSIDE

IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

TOBIA CUNONE
Magdeburgensi.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.



37